DE OBLIGATIONE *SERVANDI SACROS RITUS*

VOTUM

RAPHAELIS COSMI DE HIERONYMIS

Sac. Congregationis Indulgentijs, Sacriſque Reliquijs præpoſitæ, Secretarij, & Theologi
CONCILII ROMANI

ROMÆ, MDCCXXV.

Typis Reuerendæ Cameræ Apoſtolicæ.

Beatiſsime Pater.

QUÆ ad inducendam gravem obligationem maximè conferunt, rei dignitas, Legum auctoritas ſatis ſuperquè demonſtrant, ſacras Rubricas gravem obligationem inducere. Quanta etenim ſit ſacrorum Rituum Majeſtas, quantum ex illis decoris, atque ornamenti Eccleſiæ accedat, quàm magna ex illis in Chriſtianam Rempublicam utilitas derivetur, nemo eſt, qui non videat: divina myſteria ſacris Ritibus, veluti vocibus explicantur, Deum Optimum Maximum rectè colere mortales homines ſacris Ritibus edocemur.

Quod autem Leges attinet Sanctus Pius V. conſtit. 106. præſervatis duntaxat illis Rubricis, quæ per bis centum annos uſu ante receptæ fuerant, Rubricas Miſſalis ſervari diſtrictè præcepit; Summus Pontifex Clemens VIII. conſtit. 38. Pontificalis Romani obſervantiam demandavit; Idem ſtatuit de Cęremoniali Epiſcoporum conſtitut. 69.; Quod ſubindè

etiam decrevit ſa: mem: Innocent. X. conſtitut.42.. Idem de Rituali præcepit Paulus V. conſtit.85., & ſacrum Concilium Tridentinum (a) aſſerentibus in adminiſtratione Sacramentorum ſacros Ritus ab Eccleſia receptos pro libito à quocumque mutari poſſe anathema dixit:

Ex quibus gravem ex genere ſuo obligationem oriri ea ſervandi, quæ à Rubricis indicantur certiſſimum puto, proindeque læthaliter eos peccare, qui in Rubricis contenta exequi negligunt, niſi aut materiæ parvitas, aut inadvertentia à culpa mortali excuſet (b); Quæ autem materia levis, aut quæ gravis cenſenda ſit, ex peculiaribus facti circumſtantiis conjicere oportet, nam idem, exempli gratia, verborum numerus ſi omittatur in Canone, culpam gravem; ſi verò omittatur in introitu, culpam levem conſtituit (c). Rurſus ſi quis aliquid adjiceret, vel præteriret, quamvis leve, ſed hoc faceret animo inducendi novum Ritum, læthaliter peccaret. Multa iis ſimilia addi poſſent; niſi ad ſingula deſcendere temporis anguſtia, locive majeſtas prohiberet; Nec ſanè ea, quæ obvia occurrunt inquirere, aut iis, quæ perſpicua ſunt lucem addere neceſſe arbitor.

Duo ſunt, quibus ſe tueri conantur ii, qui ſacris Rubricis neglectis, excuſationes in peccatis excuſant. Primùm Rubricas directivas, non autem præceptivas dicunt. Alterum contrariâ conſuetudine abrogari.

Verùm cum Summi Pontifices conſtitutionibus ſupra laudatis Rubricas ſervari præceperint, vanum prorſus videtur hoc ad conſi-

lium

(a) *Seſſ.7. n.13.*

(b) *Suarex in 3. part. quæſt. 83. artic. 5. ſect. 2., Azor. inſtit. moral. lib. 1. cap. 29. in fin. Hurtad. Theolog. moral. lib. 21. cap. 23. probl. 105., Filiucc. tract. 5. n. 159., Salmatic. Theolog. moral. tract. 5. n. 212., Bonacc. de Sacram. diſp. 4. qu. ultim. punct. 7. §. 3. ſub n. 3., Quartus in Rubr. quæſt. fundamental. ſect. 2. punct. 2., Viva Theolog. moral. par. 5. qu. 5. artic. 7., Caſtropal. part. 4. tract. 22. diſput. unic. punct. 11. n. 1., Anton. à Spiritu Sancto tract. [illegible] 5. ſect. 5., Clericat. de Sacrific. Miſſæ dec. 50. n. 3.*

(c) *Quartus loc. citat. punct. 3., Giribald. tract. 5. cap. 9. n. 73.*

lium, non autem ad præceptum referre (d), quod si semel admitteretur, de Legum robore, de Apostolicarum sanctionum majestate actum omninò esset (e).

Quo verò consuetudines spectat, quas adeò frequenter jactant illi, qui contra Augustini monitum (f) defectuosum, atque obliquum, ad rectum non dirigunt, sed potiùs quod rectum, & regula est ad obliquum deflectere cupiunt eâ ratione moventur, quod consuetudo utpote lex non scripta Rubricis derogaverit.

Facilè tamen ostendi potest quidquid contra Rubricas agitur, non inter legitimas consuetudines, sed potius inter damnabiles abusus referendum. Ut enim consuetudo vim legis habeat, oportet ut sit rationabilis, & communi bono conveniens; (g) Si autem bono communi adversetur, vel etiam si sit indifferens, nunquam per illam lex abrogatur; Ideò namque, ut præclarè docet Angelicus, (h) lex abrogatur consuetudine, quia imperfectis aliquid additur perfectionis pro hominum, & temporis variis conditionibus, verba sunt Sancti Doctoris (i), & sic donec manet eadem ratio non consuetudo legem, sed lex vincit consuetudinem, impossibile autem est Sacros Ritus ab Ecclesia receptos privatâ auctoritate in melius commutari.

His addendum quod Summi Pontifices consuetudines Sacris Rubricis contrarias relatis Constitutionibus abrogarunt, & districtè insuper prohibuerunt quidquid adversus Rubricas in posterum induci contigisset, quod decreto irritanti ab Auctoribus æquiparatur.

(k) Ea

(d) *Quartus, aliique supra relati.*

(e) *Cotonius controvers. lib. 2. de Sacram. controvers. 5. cap. 4. n. 81., Clericat. loco citat.*

(f) *In Psal. 31., & 32.*

(g) *Suarez de legib. lib. 7. cap. 6. num. 16 Salmatic. tract. 11. Theolog. moral. cap. 6. punct. 3. §. 1. n. 10 Bonacc. de legib. disp. 1. qu. 2. punct. ultim. §. 7. u. 9.*

(h) *P. 2. q. 97. art. 1.*

(i) *S. Doctor loc. cit. artic. 3. ad 2.*

(k) Ea autem vis decreto irritanti in est, ut semper obsistat initio contrariæ consuetudinis, eamque prorsùs inficiat (l).

Cum ergò de rei dignitate, de Legum dispositione dubitari minimè possit, nec ullum præsidium in consuetudine haberi valeat, consequi planè videtur, quod seclusâ aut inadvertentiâ, aut parvitate materiæ, Sacros Ritus negligere ex genere suo læthale sit.

Plurimum itaque utilitatis accessurum arbitror si Sac: hæc Synodus præter cætéras saluberrimas leges illud etiam statuat, quod Episcopi pastorali sollicitudine incumbant, ut Sacri Ritus, quâ decet diligentiâ, ac religione serventur, & contrarii abusus si forte irrepserint radicitùs evellantur. Quod facilè consequi poterunt, si quemadmodum olim Concilium Bracharense decrevit (m), per Dioeceses ambulantes primùm exquirant quomodo in singulis Ecclesiis Sacra peragantur.

Hæc, Beatissime Pater, ne injuncto muneri pro virium mearum imbecillitate deessem, infallibili Sanctitatis Vestræ judicio humillimè subjicienda duxi.

(k) *Pignatell. consult. 4. n. 6., & consult. 104. n. 15. to. 4., Clericat. discord. forens. par. 1. de benef. discord. 68. n. 8., Rot. dec. 102. nu. 11. par. 10. rec.*

(l) *Fagnan. in cap. olim de majorit., & obed., Gonzal. ad regul. 8. Cancellar. glos. 67. n. 14. Pignatell. consult. 14. num. 29. to. 10., Rot. dec. 39. nu. 14., & 15. coram Otthobon., & coram Dunoz. Jun. dec. 125. num. 5.*

(m) *Concilium Bracharense 2. can. 1.*